

mundiorem prodituram. Ita omnino cum quis obruitur in sperato mortis periculo, vel impeditur justa alia ratione, discutere conscientiam ad confessionem peragenda, satisfaciet si aliqua tantum peccata enumeret, vel (si hoc non potest) in genere tantum asserat sese peccatorem et dolere de peccatis. Porro si puellæ sæpe diem integrum in sui ornatu consumunt, ut sponso se adornent, annon merito etiam diem unum impendimus examini conscientiæ, ut placeamus Christo? Sane parentes Christi *venerunt iter diei et requirebant eum.*

III. Dolendum de amisso, quod fit per contritionem, vel saltem attritionem (quæ accedente confessione sufficit.) Sed cur requiritur contritio, seu dolor et detestatio peccati? Annon sufficit charitas, fides aut misericordia? Resp. hæc præcise non sufficere, sed requirere dolorem; postulat enim charitas, ut homo doleat de offensa commissa in amicum eique satisfaciat. Fides quoque poscit ut quærat homo medelam per virtutem passionis Christi, id est, per sacramenta. Misericordia etiam exigit ut subveniat quis propriæ miseræ, quod fit per penitentiam: ergo requiritur contritio: primo, ut per eam retractemus, in quantum est possibile, injuriam Deo illatam, detestando peccata nostra. Nemo quidem recte dicit: Volo non peccasse, sed solum potest dicere: Vellem non peccasse. Hoc ergo saltem dici, sed ex animo vult a nobis Deus, verbo seu facto, idque agimus cum ex corde dolemus de peccatis admissis. Simili ratione gentilium tyranni a Christianis petere solebant, ut Christum detestarentur et crucem, etc. quod nimirum ostenderent se Christi fore hostes, et amicos idolorum. Sic imperat rex subditis ut rescindant et dilacerent fœdus, quod cum ejus hoste contraxerunt. Denique, sic cum Job et Jeremia maledicimus diei in qua nati sumus, hoc est, in qua peccare cœpimus.

Secundo, ut per hunc dolorem puniamus modo aliquo peccata in nobis ipsis, atque ita confirmemus odium nostrum erga illa. Quia enim cor nostrum fons est peccatorum, jure id affligimus per tristitiam ut reum. Hac ratione imperator imperat civitatibus devictis, ut demoliantur ea propugnacula, quorum robore et præsidio nixi illi restiterunt, uti fecit Henricus s. imperator Trojæ Italiæ tum civitati, auctore Glabro. Cor tuum, o peccator, tale propugnaculum fuit durum et obstinatum, e quo in Deum Dominum tuum pugnasti; ergo conterendum et demolendum est, si vis in gratiam recipi.

IV. Regrediendum in Jerusalem quod fit per emendationis propositum. Sic enim cum paren-

tibus Christi rursus ascendimus in cœlestem Jerusalem, unde prius descendimus, dum spondemus nos redituros in viam mandatorum Dei, quam prius deseruimus. Sic prodigus ille filius, in se reversus dicebat: *Surgam et ibo ad patrem meum, etc.* Luc. XV. Etenim per emendationis propositum, vertimus nos in viam, ita ut qui prius aberrando pergebamus versus infernum, post incipiamus pergere versus cœlum. Sed quid opus hoc proposito? Primo, ut hoc pacto culpam deprecemur et Deum ad misericordiam flectamus, qua in gratiam nos recipiat, dum qui præterita obsequia nulla ei offerre possumus, spondemus saltem futura; quomodo debitor ille decem millium talentorum, cum non haberet, unde redderet, promisit se soluturum, si dilatio daretur: *Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi, Matth. XVIII.* Sic filii puniendi promittere solent patri, se nil mali, in posterum saltem, admissuros, et audiuntur sæpenumero.

Secundo, ut Deo fidem demus, nos in posterum ei non adversaturos, sed in obsequio et devotione ejus permansuros. Sic enim victores spoliant armis victos, si acceperint eos in dedicationem, et hi ultro offerunt ea in signum, quod non velint amplius pugnare. Sic reges ac duces capti non prius dimittuntur, quam jurent se in posterum hostes non futuros, et præsent cautionem. Sic legimus Mariam Ægyptiacam, cum adhuc peccatrix esset, Jerosolymis ab ingressu templi, in festo exaltationis s. crucis, divinitus fuisse repulsam, quoad Deiparæ imagini sponderet, nullis se in posterum libidinibus polluentem, apud Sur. 9. apr.

V. Quærendus in templo inter doctores. Sic fecere Christi parentes; quos etiam imitabimur, si ad Ecclesiam pergentes dicamus confessariis nostris, qui Ecclesiæ sunt doctores, qua ratione Christum peccando perdidimus. Sponsa illa dilectum quærens, interrogavit vigiles, qui custodiunt civitatem: *Num quem diligit anima mea vidistis?* Subditque: *Paululum cum pertransissem eos inveni quem diligit anima mea, Cant. III.* Forsitan et Deipara attingens portas Jerosolymæ quæsit earum custodes seu vigiles, num vidissent Filium ejus, inde forte egredientem. Sed cum hi visum a se negarent, ingressa civitatem, quæsit eum in templo in medio doctorum, qui veri vigiles sunt, animarum scilicet non corporum, et hi monstrarunt Jesum. Quare per vigiles illos pastores designantur et confessarii. Hos oportet quæras, horum stes consilio, si Christum vis invenire. Et quemadmodum solent vigiles urbium, examinare ingredientiem, unde veniant, quid ferant, et quo tendant; ita officium con-

sessariorum est examinare illos, qui Christum invenire volunt, quid gerant, unde veniant, etc. Dicit forte aliquis: Quid illorum interest, scire arcana mentis meæ? Cur ergo hæc illis pandam? Respondetur mox, sic voluisse Ecclesiæ regem Christum, qui vigiles hos constituit ut explorent hominum animos, quando eis dedit claves regni cœlorum et potestatem aperiendi ac claudendi, solvendi ac ligandi. Jure autem hoc fecit: primo, ut per accusationem propriam mereamur ejus gratiam et indulgentiam. Solent enim irati domini facile sedari cum quis ultro fatetur humiliter culpam suam. Unde bene S. Augustinus, serm. CXVIII. dixit: « Melior est in malis humilis confessio, quam in bonis superba gloriatio. » Et quidam anachoreta rogatus, quam potissimum ad cœlum viam invenisset, respondit: « Si se homo semper accuset, » apud Dorotheum, doct. VII.

Secundo, ut hoc pacto homines a peccando absterreantur. Ut ergo sepiuntur horti spinis, ne quis externus ingredi et rapere quid attentet: ita nobis hoc spinoso confessionis sepe intercludere voluit Christus viam ad peccandum, juxta id Ose. II. *Sepiam viam tuam spinis, etc.* Parum aut nihil est, si confessario tuo dicas te peccatorem esse, aut recenseas unum vel alterum peccatum: et nihil ex hoc erubescas neque emendaberis. Omnia recensenda sunt in specie et cum circumstantiis: hoc frænum est, hæc spinæ sunt.

VI. Triduum inquisitioni dandum; siquidem et Christus post triduum inventus est. Prima dies contritionis, altera confessionis, tertia satisfactionis est. Porro sicut tertia die nondum completa inventus est Christus a parentibus, juxta probabiliorem sententiam Euthymii, Jansenii, Cajetani, ita in penitentia nondum sit completa, sed inchoata tantum per promissionem satisfactionis. Voluit autem Christus ut ejus inquisitioni et labori penitentia tertium hunc diem adderemus: primo, ut peccati, quo Christum perdidimus summum bonum, amaritudinem ex parte degustemus, juxta id Jerem. II. *Vide quia malum et amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum.* Si omnis pœna simul cum culpa statim ad primum gemitum remitteretur, nesciremus quantum fellis et veneni sub mellita peccati superficie lateret. Ideo variis miseris et afflictionibus subjicimur, ut ex parvis condonati peccati reliquis cognoscamus, quam immane supplicium illos maneat, quibus hic remissum non est.

Secundo, ut hoc medio peccata radicibus evelamus, adhibitis videlicet antidotis eorum, jejunio contra gulam, eleemosyna contra avaritiam, etc. Siquidem confessio radices illas seu habitus malos non tollit.

VII. Denique, postquam inventus est Christus,

sedulo custodiendus est, ne iterum perdat. Sic ubi Deipara reperit Filium, duxit illum domum, et cum eo semper vixit, nec deinceps eum perdidit. Sic etiam fecit sponsa, Cant. III. ubi dilectum suum reperit: *Inveni, inquit, quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ.* Ergo in domo animæ nostræ includamus Christum, fugiendo occasiones peccatorum, obserando mentem seriis propositis et piis cogitationibus ac meditationibus de timore Dei, et novissimis nostris. Revisamus eum quotidie per examen conscientie; et si ad sæculum egredi oporteat, non ambulemus sine Christo.

Primo enim, quid tibi prodest Christum multo labore quæsisse et invenisse, si rursus eum perdas?

Secundo, quid si cum denuo perditum, invenire postea nequeas? Quis enim hoc tibi promisit? Beati non possunt Christum perdere, damnati perditum nequeunt invenire; nos vero eum perdere, et perditum invenire possumus. Sed si in tempore quæramus, quid enim si præoccupati mortem spatium penitentia invenire non possimus? Quid si in profundum peccatorum lapsi quærere negligamus imo contemnamus? Sic enim testatur Sapiens, Proverb. XVIII. *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Tunc actum erit tecum. Infinitum chaos est inter Christum et infernum; nemo inde potest ad illum remeare, nemo illum quærere, nedum invenire.

Ergo si aliquando ad arborem mortis ivimus, ibique Christum amisimus, eamus nunc ad arborem vitæ, ad arborem penitentia, ut perditum recuperemus. Sed et recuperatum ut ne dimittamus, subinde degustemus fructus arboris vitæ, quam dicimus penitentiam. Nam uti arbor vitæ non semper prorogasset vitam, nisi sæpius gustata (de sententia communi) ita nec penitentia semel tantum adhibita, si post eam rursus deliqueris. Quoties ergo peccamus, toties adhibenda est, ejus memoria retinenda, proposita ruminanda, etc.

## CONCIO II.

QUID FECERIT CHRISTUS AB ANNO DUODECIMO USQUE AD TRIGESIMUM.

I. Studuit humilitati. — II. Studuit obedientiæ. — III. Profecit in litteris et virtutibus. — IV. Juvit patrem in officio. — V. Admavit sponsam suam Ecclesiam.

## THEMA.

*Jesus proficiebat sapientia, et ætate, et gratia apud Deum et homines.* Luc. II.

Prov. XXX. *Tria, ait Salomon, sunt difficulta mihi.*



et quartus penitus ignoro. Viam aquilæ in celo, viam colubri super petram, viam navis in medio mari et viam viri in adolescentia. Tria quidem illa ideo sunt ignota, quia nullum post se relinquunt vestigium. Sed quomodo quartum: cum adolescentia sua habeat vestigia? Respondet S. Ambrosius, et ait in l. de sacram. c. V. *Christus est vir, cujus viæ cognosci in iuventute non possunt, etc.* (quis enim alius est vir in adolescentia sua nisi Christus, qui vir erat in utero matris juxta id Jer. XXXI. *Femina circumdabit virum*) quod maxime verum est de ætate Christi ab anno duodecimo usque ad trigesimum; siquidem trigesimo primum anno concionari et mira facere cœpit. Obscura nobis est via aquilæ in cœlum, id est, Christi in cœlum ascendentis; obscura via serpentis in petra, id est, Christi in sepulcro resurgentis: obscura via navis in mari, id est, Christi super aquas ambulantis, sed obscurissima ejusdem via in adolescentia usque ad annum trigesimum quia de hæc nil scriptum. Quo tamen tempore certe otiosus non erat; si enim tribus postremis vitæ suæ annis tanta tamque multa egit, nihil eum fecisse putabimus totis octodecim annis intermediis? Quid igitur? Num hac de re prorsus nihil scimus? Num de octodecim annis vitæ ejus nec unam quidem concionem habere poterimus? Sed o Luca! O s. evangelista! Qui primordia ætatis Christi cæteris fusius scripsisti, dignare nobis vel micæ aliquot communicare de vita illa Domini nostri, quæ tam alto silentio præterita est. Quantum intelligo, nonnihil hac de re nobis ille revelabit. Audite.

I. Exercuit se in humilitate: quia descendit in Nazareth, ubi in paterna domo mundo ignotus delituit, instar S. Joannis Calybitæ Constantinopolitani senatoris filii, qui cum a litterarum officina, clam parentibus cœnobium intrasset, et aliquamdiu duræ admodum disciplinæ religiosorum Acœmeterum, quasi semper vigilantium, adsuevisset, ad paternas ædes ignotus et mendicabuli centone indutus rediit, ubi aliquot annis gurgustio inclusus, ab omnibus vilipensus, et neglectus domesticis, ante vestibulum degebat, cum interim parentes quotidie cum ingenti prodire pompa spectaret et seipsum ignotum veste villi redderet, donec morti vicinus matri advocatæ evangelium auro ornatum, quod ab ipsa puer acceperat, pro signo quo se quis esset, aperuit, redderet et animam simul Deo commendaret. Refert Matth. Raderus, in viridario ss. parte prima. Ad eundem enim modum Christus Dominus postquam clam parentibus in templo remansisset et divinis rebus vacasset, postea ad paternas ædes rediit, ubi per octodecim annos exigua in casula delituit, a do-

mesticis mundi sui non agnitus, sed vilis potius et alienigena habitus (unde et faber ac fabri filius dicebatur) cum interim semper videret faciem Patris sui in cœlo regnantis et omnia summa majestate implentis; donec circa finem vitæ suæ, post annum scilicet 30. primum seipsum manifestavit, tradendo nobis evangelium suum, quod a Patre acceperat. Cæterum sanctus ille Calybita imitari quidem hoc exemplum Christi voluit, sed umbram tantum illius assecutus est. Quod enim Christus ab anno duodecimo egit, multo mirabilius et excellentius est. Cum enim eo tempore Dominus signa et prodigia facere, et populos imbuere cœlesti sapientia posset, nihil horum fecit (siquidem primum miraculum in Cana post annum ætatis trigesimum designavit, nec ante id tempus docuit saltem publice.) Miraculum igitur humilitatis edidit dum nullum facere miraculum voluit; et se, cum Deus esset, prodere noluit, sed humilis quasi obscurus esset, et rudis, latuit. Dicite si quis nostrum eruditione vel genere clarus ad eum forte locum veniat, ubi ejus eruditio vel nobilitas ignoratur? Etsi ipse vilis ac rudis reputatur et contemnitur, quomodo is uretur interius? Quam vehementer cupiet dari sibi occasionem ostentandi doctrinam vel generis splendorem? Ut igitur, quantumvis excellentes et magni disceremus superare superbiam, ne se in nobis prodat et caput exerat; voluit tam longo tempore ignorari, latere et contemni. Indubium est, ab infantia Christum magni æstimatum fuisse ab iis, qui audierant testimonia magorum, pastorum, Simeonis, Annæ, etc. Unde ab eo multa expectabant præclara: ubi vero eum conspexere, postea nihil præclari aut mirandi designare, credibile est dixisse homines: Ecce quam egregie decepit nostram expectationem et præsagium hic puer? Jam enim crevit, jam barbatus est: et necdum litteras novit, neque scholas adit ut discat, sed domi semper otiosus sedet nemini utilis, uti meditatatur Sanctus Bonaventura. Et hæc quidem Christus tolerabat per tot annos. Quanta ergo vanitas et stultitia nostra; qui exiguas nostras dotes nec per horam sæpe tegere possumus? Qui modicum contemptum aut neglectum, unam contumeliam aut verbum durius sustinere non possumus? Annon sufficiat nobis ad retundendam nostram superbiam, hoc unum Christi exemplum? Quid enim, quæso, tibi accidit molesti? Nobilis sum et clarissimis majoribus ortus inquis; et ecce vilis iste homuncio me irridet et spernit. Quid tum? Numquid ergo nobilior es Christo, qui faber et fabri filius per contemptum vocari pertulit? Tot annis in omni doctrinæ genere versatus sum, inquis, in tot curiis,

tot negotiis difficillimis occupatus, et ecce illiterati homines rudem me et inscium proclamant. Quid tum? Nonne hoc idem et amplius tulit Dei Filius? Innocens sum, inquis, nemini unquam molestus fui; et tamen a perditio quodam homine sceleris insimulor, et pro tali vel tali criminoso traducor. Quid tum? Fecerunt item Christo multi invidi, qui dicebant ad opprobrium ejus: *4 Nazareth potest aliquid boni esse?* Melior sum, inquis, multis, qui in hoc mundo evehuntur, honorantur dignitatibus et gratiis cumulantur, cum ego hic delitescam inglorius et neglectus, qui tamen multo plura prestare possem, pluraque merita mea recensere. Quid tum? Num tu melior aut major es Dei Filio, qui plenus sapientia, gratia et fortitudine potuisset omnes doctores mundi docere, mira patrare, divinitatem suam ostendere, merita sua infinita demonstrare; nihil tamen horum fecit, sed occultus et neglectus latere, docentes se audire, omnibus honorem cedere, nulli se ne æquare quidem voluit usque ad trigesimum annum ætatis suæ? Tace igitur et gaude potius te Christo similem esse.

II. Exercuit se ad militiam spiritualem et pugnam cum dæmone ineundam: et quomodo hoc? Per obedientiam, in qua crucem postea subiit et dæmonem vicit, ut colligitur ex hodierno evangelio, ubi dicitur: *Erat subditus illis.* Porro hæc obedientia similis videtur militari exercitio, quo ad pugnam aliquando ineundam erudiuntur milites. Jubentur eodem loco pedem unum figere, et interim tamen ad unicum ducis verbum, se in omnem situm et locum vertere. Hoc faciebat etiam nunc Christus qui parentibus suis obediendo, didicit Patri suo cœlesti obedire ad nutum; sciens aliquando pugnandum sibi aperto Marte fore et obediendum usque ad mortem. Erat igitur Christus subditus et in primis se inferioribus, quia Deus hominibus et pauperi artificii: id quod nobis difficile est.

Secundo, sapientior minus sapientibus. Unde sub imperio Josephi constitutus haud dubie sæpius jubebatur aliqua agere aut intermittere, quæ ipse melius et prudentius vel omisisset vel egisset; (ut conjicitur ex hodierno evangelio; dum Christus ait se esse debere in iis quæ Patris sunt, nihilominus obedivit et descendit cum eis) hoc tamen neglecto, non suum sed parentum secutus est judicium.

Tertio, hoc quamdiu fecit? Fecit certe circa decimum octavum annum, ubi adolescentes solent insollescere et seduci. Fecit circa vigesimum quartum ubi juvenes inconsultis parentibus plurima attentant, militiæ nomen dant, matrimonia contrahunt, etc. fecit circa trigesimum annum

ubi omnes volunt esse immunes et liberi a parentum imperio.

Quarto, in quibus rebus? In omnibus omnino etiam abjectis et domesticis servitiis; cum enim pauperula Josephi familia, nec famulum haberet nec famulam, non dubium quin obviam quæque ministeria domestica ex obedientia Christus obierit, imo sæpe a parentibus petierit, ut sibi in omnibus libere præciperent. Satis igitur superque constat nobis, quid egerit Christus illo tempore. Vixit enim sub regula parentum suorum, quasi in sanctissimo monasterio sub sanctissimis rectoribus sanctissime. Sufficit monacho si dicatur observasse regulam; constat hinc quid egerit: ego sanctum aio.

III. Litteris operam dedit, non quidem adeundo scholas, sed domi meditando quæ aliquando loqui et docere volebat. Profecit enim sapientia apud Deum et homines, inquit evangelista. Ita Sanctus Thomas Aquinas, dum studiis operam daret, ob perpetuum fere silentium a condiscipulis bos mutus appellatus est. Sed cum aliquando publice disputaret, ita locutus est, ut magister ejus Albertus Magnus admiraretur et diceret, bovem hunc mutum tantos aliquando mugitus editurum, ut a toto exaudiretur orbe: quemadmodum et factum est, Surius in ejus vita. Sed quomodo profecisse sapientia dicitur, cum a sui conceptione, etiam ut homo, perfectus sapiens fuerit? Resp. primo, quoad experimentum et usum; dum ea experiri paulatim cœpit, quæ prius sola contemplatione sciverat; hæcque ratione in scientia, quæ vocatur acquisita, proficere potuit. Cum maximo enim zelo observavit hominum mores, ut eos aliquando oculatus et auritus testis commendare, vel emendare posset. Ubi interim docet primo, non prius judicium ferre, quam certo tibi res constet et quasi per experientiam. Nunquam ex suspitione vel aliorum relatione castigavit aliquem Dominus, aut laudavit; sed cum tanta certitudine, ut os inimicorum obstrueret nec ullus contradicere auderet. Deinde, in praxi studere virtutibus, sæpe enim theologus bene disputat de obedientia, qui tamen obedire nescit.

Secundo, quoad exercitium, semper sapientius et sapientius agendo, non quoad habitum; etenim cum ætatis progressu profectum judicii et loquelæ majorem in dies ostendit. In infantia vagiit, tum puerili more locutus est, ac tandem sapientiam suam omnino manifestavit. Quemadmodum enim sol in aurora latens, in ortu obscurior, deinde paulatim clarior, in meridie lucidissimus, in occasu deficere cernitur; ita Christus in utero matris velut sol in aurora radios



tantum suos aliquot monstravit, quos pauci viderunt, Maria scilicet, Joseph, Elisabeth, Zacharias, Joannes, in nativitate velut in ortu clarior apparuit, quia claritas Dei circumfulsit etiam pastores, reges item in oriente: paulatim post quasi super horizontem elevatus apparuit etiam senibus, Simeoni, Annæ: post etiam doctoribus ut hodie. Tandem in meridie circa annum trigessimum (ubi medium ætatis fere humanæ) toti orbi propemodum: quia *populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam*. Tandem in passione occubuit, ubi fama sanctitatis ac sapientiæ ejus in cruce visa obscurata fuit. Quo exemplo suo docet nos, ut cum ætate crescamus in sapientia, cognitione rerum divinarum et spiritualium. Si enim in exercitio sapientiæ Christus proficere voluit, qui ab initio conceptionis suæ omnem scientiam habuit, quanto magis decet ut nos perpetuo proficiamus, qui semper scientia egemus? Neque dicat aliquis, se jam satis scire, quid sibi sit faciendum, quid ad salutem necessarium, etc. Primo enim, Christus etiam prius omnia sciverat, proficiebat tamen quoad exercitium. Secundo, seipsos hi decipiunt, et, teste apostolo, ad Rom. I. *Dicentes se esse sapientes stulti facti sunt*. Proficiunt etiam multi sapientia apud homines, in astutia, dolis, fraudibus, scientiis vanis, mendaciis, etc. apud Deum vero trunci sunt et stipites. Atqui Dominus nos, apud Deum etiam profecisse dicitur, id est, sapientiam et cognitionem rerum divinarum magis et magis patefecisse hominibus.

IV. Opificium patris sui exercuit, et primo, Patris sui cælestis, siquidem Joannes V. ait: *Pater meus usque modo operatur et ego operor*. Semper ergo idem operabatur, quod Deus Pater. Colligitur etiam hoc ex hodierno evangelio, ubi ipse dixit, oportere se esse in iis quæ Patris ejus sunt. Ad hæc dum dicitur Dominus profecisse etiam ætate, spiritualis profectus insinuat; quia nimirum, ut exponit ibi Dionysius Cartusianus, tempus, quod sibi accevit, fructuosissime expendit. Sed quo tandem opificio? Qualis opifex est Deus Pater? Respondet Filius, Joan. XV. *Pater meus agricola est*. Unde etiam Dominus de se similitudinem proponens ait: *Exiit qui seminat seminare semen suum*. Agriculturam igitur exercuit, quia instar agricolæ diu expectabat messem et antequam meteret plurimos labores in agrum collocavit animarum, quo eum fecundum redderet. Primo, eum orabat, quia mentes hominum, quibuscum conversabatur, interna inspiratione commovebat; deinde, externa conversatione non tam docendo, quam sapientissime interrogando erudiebat, ut seipsos cognoscere,

Deum timere, et de salute sua solliciti esse inciperent, quemadmodum postea fecit cum Samaritana illa in familiari colloquio, initio prædicationis suæ, Joan. IV. tangendo cor ejus et quodammodo vertendo, ut agnosceret mulier vitæ suæ turpitudinem. Secundo, oceabat, quoniam exemplo suo sanctissimo corda hominum ad conversionem disponebat et sanctas eis cogitationes injiciebat, ad verbi Dei receptionem. Tertio, agrum stercorabat piis virtutum operibus, oratione frequenti, lacrymis, vigiliis, jejuniis, corporis afflictionibus, etc. hæc enim omnia Deo Patri pro salute animarum offerebat, et ita in sinum quodammodo animarum condebat, ut ea opera non sibi, sed illis proficua et meritoria esse vellet; siquidem ipse pro se his omnibus non egebat. Pabulum ergo animarum nostrarum erat, et stercoratio, quidquid jejunii, orationis, etc. eo tempore Christus fecit. Quarto, seminabat, modo in hac, modo in alia domo vel societate semen divini verbi occulte et per modum conversationis jaciendo. Huc enim pertinet absque dubio, quod Isaias de Christo prædixit, c. XI. *Delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis, et in caverna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet*. Quamvis enim necdum tempus esset aperto Marte cum dæmone pugnandi, privatis tamen et occultis velitationibus vires interim ejus frangebatur, modo ex hac, modo ex illa domo eum extrahendo. O egregium igitur exercitium! Sed nonne et nos filii agricolæ sumus? Nonne Adam pater noster, imo et nos cum illo omnes ad agrum missi sumus? Ager vero jussu Dei a nobis excolendus est anima nostra: fruges sunt virtutes, zizania vero vitia, imber Dei gratia sanctas inspirationes in nobis gignens, venti tentationes, quæ fruges purificant. Hanc stercorare per orationem, arare per pœnitentiam, occare per mortificationem, serere per auditum verbi Dei debemus. Sed quærat jam quilibet ex seipso quantum hactenus in hoc profecerit. Invenimus sæpe in magna ætate multa zizania, paucas virtutes: adeoque nos deficere non proficere. Arborea quanto annosiores sunt tanto latius se diffundunt. Cervi cornibus suis omni anno adjiciunt ramum unum; nos vero tot ætatibus nihil fere proficimus, vitia non extirpamus, sed augemus; quam heu dissimiles Christo! Secundo, opificium patris suis terreni, ut credebatur, Josephi: (huic enim in fabrilis opificio navasse Christum operam suam, probabile est, et videntur indicare concives ejus, Marc. VI. dicentes: *Nonne hic est faber filius Mariæ?* Imo D. Justinus in dial. contra Tryphonem, expresse ait: *Solebat enim, dum inter homines degeret, aratra fabricare*

*jugaque, ut per has figuras justitiam doceret et reipsa fugam otii.*) Cujus rei causa prima erat justitia, uti audivimus ex Justino; quia nimirum decebat ut filius parenti in opere adesset partemque laboris ab illo in se transferret, quo patrem suum lucraretur; altera ab eodem indicata, ut otium fugeret, nobisque laborandi beneque nos occupandi præberet exemplum; tertia, ut maledictio Adami (*in sudore vultus tui vesceris pane tuo*) sponte se subjiceret: quarta, ut humilitatem exercebat, dum mechanica tractans, mechanicis nihilo melior ad tempus haberi voluit. Denique, ut doceret laborem adhibere et jungere orationi, ad instar militum illorum Machabæorum, de quibus scriptum est, II. Macch. XV. *Manibus quidem pugnantibus, sed Dominum cordibus orantes*. Qui et gloriosam victoriam obtinuerunt; siquidem teste S. Augustino, de opere monach. bene se compatiuntur hæc duo, ut *manus laboret; cor autem et lingua oret*.

Quod si juxta sententiam Justini, aratra et juga fabricavit, mysterium etiam eo labore intendit, utique insinuans in eo se versari, ut aratro crucis orbem totum vertat et fecundum reddat; deinde, ut suave jugum suum legis evangelicæ fidelibus suis paret eorumque humeris imponat.

V. Quæsit sibi sponsam, ejusque amorem ambiit variis obsequiis. Ea vero est anima hominis, cui dicebat per Oseam, cap. II. *Sponsabo te mihi in fide*. Colligitur hoc ejus studium manifeste ex hodierno evangelio, quo attestante, *proficiebat Jesus gratia apud Deum et homines*, id est, ut ibidem Barradius inquit, moribus, virtutibus, corporis vultusque pulchritudine gratiam hominum sibi conciliabat. Sed quibus artibus putamus usum esse Christum ad gratiam hanc sibi conciliandam? Non difficile est investigare: Quid enim faciunt, qui amorem sponsæ quærunt? Amant imprimis licet ipsi nondum redamantur; efficacissimum enim amoris philtum est id, quod Seneca scripsit, epist. IX. *Si vis amari, ama*. O quoties igitur se in aliorum familiaritatem insinuat! Quoties et quam humaniter homines salutabat et alloquebatur! Quam honorifice de eis loquebatur! Quam suavi amore compensabat etiam dietas in se contumelias! Quam prompte ignoscebat injuriis! Quanto zelo rudes instruebat! Quoties dixisse vel saltem insinuassemus putabimus, quod Samaritanæ dixit postea: *O mulier, si scires donum Dei, et quis est qui tibi dicit, etc.* O scires quis est, qui tibi loquitur! Secundo, modestiam et decorem, comitatem in moribus, incessu, vestibus et sermone præ se ferunt amantes, præsertim in præsentia amate:

unde toties mutant vestes, easdem purgant, etc. ut decori appareant et venusti. Similiter etiam Christus decorem induebat morum et modestiæ in incessu, vestitu, sermone, comestione, gestibus. Denique, qui amant, omnis generis servitiæ etiam abjecta et humilia subeunt propter personam amatam. Amor Dinæ Sichem illum usque eo egit, ut propter eam circumcidi se pateretur, Gen. XXXIV. Amor Rachelis Jacob patriarcham ut quatuordecim annis pro ea servire et pastorem agere non dubitaret, Gen. XLIX. Multo plus existimandum est fecisse Christum in adolescentia sua pro anima hominis, cujus amor e cælo eum adduxit et servum fecit: servivit enim pro illa tota vita sua, et qui pro ea flagella, spinas, sputa, alapas, crucem et mortem denique subiit, quid quæso detrectavit? Jam vero si quemadmodum rectissime colligitur, tot tantisque artibus et modis amorem nostri, abjectissimorum vermiculorum ambivit, et tanto tempore pro eo servivit, quid nobis respondendum existimatis? Nihil aliud his omnibus Dei Filius quæsit, quam Rachelem, id est, ovem seu animas, et ut amorem nostrum a vilibus mancipiis creaturarum abstraheremus ipsique impenderemus. Et hunc igitur nos ei negabimus, nec amantem redamabimus, pauperes tam locupletem, miseri tam felicem, abjecti tam nobilem, sordidi tam decorum, stulti tam sapientem, homunciones Deum? Heu cæli obstupescite! Deus quærit gratiam apud homines, et proficit in illa: homo autem non quærit gratiam Dei, nedum proficit in illa. Cogitet quæso mecum aliquis, quis magno igni patriarchæ Jacob animus fuisset, si post tot labores et vigiliis, post quatuordecim annorum durissimum servitium, nullum in Rachele erga se amorem, sed potius illam erga se aversam et refractariam reperisset? Annon merito id accipere durissime debuisset, adeoque detestari omnem laborem suum? Ne dubitemus igitur id ipsum a Christo fieri et multo quidem æquius, si, relicto ipso, sæculum amemus: idque severissime aliquando nobis exprobandum. Quam merito dicet, quod Ecclesiastes, cap. II. ait: *Detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissime laboravi*. Recensuit ibi Salomon domos, hortos, piscinas, pomaria, vineas, servos et ancillas, cantores et cantatrices, aurum et argentum, in quibus parandis frustra se sudasse inquit, et in omnibus nil præter vanitatem invenisse. Unde tandem ait: *Detestatus sum, etc.* Sed multe pluris constiterant Christum, quæ pro nobis lucrands fecit et passus est, sine comparatione. Quis igitur explicabit ejus dolorem et indignatio-